FLORUS LUGDUNENSIS. VITAE SANCTORUM
Zwettl, 4. Viertel 12. Jh. (und um 1300) Seite 130v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31660
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



cessit. ut nullus esset qui eum ex affectu
non diligeret. & hunc esse dei famulum accla-
maret. Melciade autem episcopo migrante ad
xpm ab omni populo sanctus silvester eligitur. uox
omnium clericorum & laycorum una efficitur.
Cumque se acclamaret indignum obi-
ciebantur huic sancta preconia. & quoniam ante
quam presbiter esset confessor xpi esse meruit cla-
mabatur. His & huiusce modi assertionibus
populorum artatus eleuatur urbis romae episcopus.
Et quia hoc esse meruit. operibus declaratur.
Erat enim piissimus. & omni suauitate
conspicuus. atque ita inter diuites & pau-
peres medius. ut pauperes illum quasi parem
aspicerent. diuites uero quasi superiorem
sibi diuitem estimarent. Non enim personae
potentiam. sed ad morum elegantiam
attendebat. & tanto unumquemque emi-
nentius honorabat. quanto uiuere sanctius
didicisset. A detractoribus aures suas quasi
a serpentibus separabat. dicens hoc uene-
num ingressum pereas occidere animas
audientis. addens hoc. si presbiterum non licere
accusari. nisi subtilium testium comprobatio-
ne. quanto magis eos quorum animus adhuc
in tenera fide positus non potest patientiam
accusationis perdetrahentis culpam.
integram reseruare. Immo & iam hos
quos opinio lacerabat suis copulabat
amicitiis. ut monitis dulcibus eorum ama-
ritudinem obdulcoraret. & erectos in su-
perbia xpo humiles faceret. afferens
phariseorum accusationem in medium qua
culpabant dominum cum publicanis & pec-
catoribus manducantem. & simul respon-
dentem dominum memorabat dicens. non egent
qui sani sunt medico. sed qui male habent.
Non ueni uocare iustos. sed peccatores in pe-
nitentia. Circa egenos uero & aduenas ita
se sollicitum exhibebat. ut uere secundum
uerbum domini xpm esse in his crederet. & non
tam illis quibus conferebat necessaria quam
ipsi xpo se conferre gaudebat. Nulla uidua
pauper. nullus orphanus indigens in tota
urbe roma inueniri poterat. quem in sua
matricula non haberet asscriptum. Unius
cuiusque autem tituli ita curam gerebat. ut
quantae in regione essent uiduae quod or-
phani. quot clerici. & nomina & numerum
diligenter sciret. & quasi de filiis suis
pleno karitatis affectu. sollicitudinis
suae fructum eorum cotidie necessitatibus
exhibebat. Clericorum omnium ita curam
gerebat. ut clericos pauperes quos uidisset
diuitibus clericis sociaret. ut secundum apostolum
horum inopia illorum habundantia suble-
uaret. Laycorum cura ita illi erat. ut si a-
liquos inter eos studiosos in lege domini rep-
perisset & nimia ueneratione diligeret.
& suis eos amicitiis copularet. Si autem ali-
quando dona ecclesiae a diuitibus suscepisset.
statim ea in iiii. partes diuidens archi-
diacono commendabat. ut una pars restau-
rationibus titulorum. ut cymiteriorum proficeret.
alia clericis. tercia cunctis pauperibus. quarta
uero aduenis subratione traderetur. O quam
sepe debitor esse uoluit ut debitoribus
subueniret. secutusque xpi uestigia ipse
a feneratore conuentus est ut hi qui tene-
bantur in uinculis laxarentur. Virginum